

INGO CARINTHIAE DVX.



INgo omnis generis uirtutibus ornatus fuit. Itaque Carinthij, qui Austriacis parent, eum sibi ducem elegerunt. Cum autem ipse Christianus esset, atq; rustici cum ignobilioribus eius gentis hominibus principis fidem sequerentur, nobiles uerò & magnates repugnarent, atque in Idolorum cultu pergerent, Ingo sollicitè cogitare cœpit, quam ratione etiam illos ad ueram Christi religionem perduceret. Itaque consilio inuito, ingens conuiuium prouincialibus præparauit. Ibi agrestibus ad conspectum suum intromissis in uasis aureis & argenteis, nobilibus uerò & magistratibus procul ab oculis collocatis, fictilibus ministrare iussit.

Interrogatus à proceribus cur id faceret? Respondisse fertur: Non tam mundos esse qui urbes & alta palatia, quàm qui agros & humiles casus colerent.